

*Imposuerunt manus super illos,  
et accipiebant Spiritum Sanctum.*

Lectio Actuum Apostolorum

8, 5-8. 14-17

In diebus illis:

<sup>5</sup> **P**hilippus descendens in civitatem Samaríæ prædicábat illis Christum.

<sup>6</sup> Intendébant autem turbæ his, quæ a Philíppo dicebántur, unanímiter, audiéntes et vidéntes signa, quæ faciébat:

<sup>7</sup> ex multis enim eórum, qui habébant spíritus immúndos, clamántes voce magna exíbant; multi autem paralýtici et claudi curáti sunt.

<sup>8</sup> Factum est autem magnum gáudium in illa civitáte.

[9-13]

<sup>14</sup> Cum autem audíssent apóstoli, qui erant Hierosólymis, quia recépit Samaría verbum Dei, misérunt ad illos Petrum et Ioánnem;

<sup>15</sup> qui cum descendíssent, oravérunt pro ipsis, ut accíperent Spíritum Sanctum:

<sup>16</sup> nondum enim super quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantum erant in nómine Dómini Iesu.

<sup>17</sup> Tunc imposuérunt manus super illos, et accipiébant Spíritum Sanctum.

Verbum Dómini.